Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26261
Copyright: Admont, Benediktinerstift

afferebant egrotos ponentes ante eum. et curabantur. Sed et de aliis
ciuitatibus ueniebant et afferebant et ipsi sanabantur. Libenter enim au-
Cum hec agerentur. ecce quidam senex XXVIII [diebant uerbum dei.]
Nycolaus nomine scissis uenit uestibus ad apostolum dicens. Famu-
le dei ecce .lxx. quatuor anni sunt uite mee in quibus non discessi ab in-
munditiis et scorto. ac fornicatione. plerumque preceps deductus
ad lupanar exercebam illicita. Et nunc tercia dies est in qua audiui
miracula que agis et predicationes tuas que sunt plene uerbis uitalibus.
Cogitabam enim mecum ut relic-
to hoc opere uenirem ad te. ut mihi ostenderes meliora.
Sed dum hec cogitarem. ueniebat mihi alius sensus ut hec relinquerem.
et non facerem bonum quod cogitabam. Luctante igitur conscientia mea ac-
cepi euangelium et oraui dominum. ut hec aliquando me facerent obli-
uisci. Post dies autem paucos oblitus euangelii quod super me erat. infla-
mante cogitatione peruersa. abii iterum ad lupanar. et ecce
mulier meretrix uidens me ait. Egredere senex egredere.
angelus enim es tu ne contingas me neque appropinques in loco hoc. ui-
deo enim in te misterium magnum. Cumque ego obstupefactus cogitarem
quid hoc esset. recolui quod euangelium mecum habebam. et conuersus
ueni ad te famulum dei. ut miserearis erroribus meis. Spes enim
mihi est maxima quod non peream. si oraueris pro humilitate mea. Hec au-
diens beatus andreas. cum multa contra fornicationem disseruis-
set. prostratus genibus expansis manibus tacitus orabat. emittens
gemitus cum lacrimis ab hora diei sexta usque ad horam nonam. Sur-
gens autem abluta facie. nihil accipere uoluit dicens. non gustabo
donec cognoscam si miserebitur deus huic homini. et si sit repu-